



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

An recte faciant qui peccatoribus misericorditer, ut ajunt,
condescendentes pro peccatis mortalibus levißimas imponunt
paenitentias?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

CAPUT XX.

*An rectè faciant qui peccatoribus misericorditer,
ut ajunt, condescendentes pro peccatis mor-
talibus levissimas imponunt pæ-
nitentias ?*

Superest nunc tertia Sacramenti
Pænitiæ pars, quæ satisfactio
dicitur, quia quibusdam pæniten-
tiæ operibus, quæ juxta S. Thomam, *Opusc. 4.*
præcipuè sunt jejunium, oratio & eleë-*p. 2.*
mosina, ex Sacerdotis præscripto offen-
sas Deo factas pro suo modulo pænitens
nititur compensare: nam quamvis &
sponte quædam pænæ suscipi possint, *Conc. Trid.*
Deoque pro commissis culpis offerri, imo *sess. 14. c. 9.*
& temporalibus flagellis à Deo inflictis,
& à nobis patienter toleratis apud Deum
Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere
valeamus: tamen, ut notat Romanus *P. 2. de Sa-*
Catechismus, *illa tantum Sacramenti pars cram pænis.*
consenda est, quæ ex præcepto Sacerdotis Deo pro *num. 88.*
peccatis dependitur. Hoc adjuncto, ut statutum
cum animo & deliberatum habeamus, peccata in
posterum omni studio vitare. Atque hoc mo-
do exponendum illud Gregorii; dum mens *Lib. 3. c. 5.*
flendo compungitur, necesse est ut etiam caro, *in l. 1. Reg.*

Q

que

CA-

que delectationibus subjacuit, affligatur: que tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccatum demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis discernitur afflictionis.

§. I.

Non modica satisfactio pro mortalibus peccatis requisita.

*L. de natura
boni c. 31.*

T Ametsi verò (ut cum Augustino dicam) cuique culpæ qualis & quanta debeatur pœna, divini iudicii est non humani: Ac per hoc arduum est, cuique crimini debitum discernere onus afflictionis; tamen non modicum illud esse quod pœnitentibus post Baptismum lapsis subeundum incumbit, vel ex eo constat, quòd Pœnitentiæ Sacramentum laboriosum Baptismum SS. Patres vocitârunt; quia nempe ad amissam per peccatum Baptismi novitatem & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, ut loquitur Tridentina Synodus, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus. Hinc illud S. Cypriani; Dominum à lapsis longâ & continuâ satisfactione esse placandum, propter quod alibi eos hortatur:

*sess. 14. c.
2.*

Epist. 40.

tur: